

Post prandium hora 20 accessit ad ecclesiam viceparochialem [93v] Sancti Bernardini loci Lavatoggi, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Stephano Suzzoni parocho et a populo; et praemissis omnibus de more visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime retinetur, eoque populum benedixit. Etiam baptisterium et sacra olea munda sunt.

Altaria sunt 4, nempe; maius, sancto Bernardino titulari huius ecclesiae viceparochialis dicatum; 2. a cornu epistolae est sanctissimi Rosarii, ubi est erecta societas sanctissimi Rosarii; 3. Animarum Purgantium; 4. ab altera parte, sanctae Ursulae. Nullum reperi legatum pium. Dicta altaria et ecclesia manutenentur a populo, et cum revera omnia decentia sint, illustrissimus ac reverendissimus dominus plurimum commendavit pietatem populi. Admonuit tamen de deformitate statuarum ex opere plastico. Visis suppellectilibus laudavit diligentiam rectoris in suo adimplendo munere.

Annui redditus plebani sunt librae 420.

[94r] Dux superius quod nullum reperi legatum pium, tamen in inventario duo recensentur legata pia, unum quondam Petri Francisci et Casandrae Suzzoni, et cappellanus est sacerdos Carolus Maria Suzzoni; alterum vero legatum seu cappellania est quondam Ioannis Pauli Fabbiani. Parochus etiam celebrare debet quatuor missas pro quadam muliere, prout ex testamento rogato a Philippo Avazeri, ut in inventario, ad quod (etc.).

Altare privilegiatum altare maius. Familiae 79. Sacerdotes 13. Animae 362.

Antiqua parochialis huius loci erat ecclesia Sancti Ceronis, quae adhuc existit, et in ea unum est altare sufficienter ornatum. Successive illustrissimus ac reverendissimus dominus visitavit oratorium Sancti Antonii Abbatis, quod quidem pariter optime retinetur. Potissimum in eo est scannum per girum totius ecclesiae vermiculatum eleganti opera; ac propterea iterum et magis laudavit pietatem huius loci, attentionem et amorem erga ecclesias. Tum ad suam residentiam redit hora 23.

Interea ego visitavi oratorium Sancti Laurentii loci Crucis Lavatoggi, pro quo decrevi (etc.), et in reliquis sufficienter ornatum vidi.

[...]

Pro ecclesia Sancti Bernardini loci Levatocci

Faenestrae instruantur laminis vitreis intra sex menses, sub poena librarum quinquaginta.

Fiat parva theca seu pixis ad deferendum sanctissimum viaticum infirmis intra tres menses, sub poena librarum triginta.

